

mentabili ingemiscit voce: *Expiato me hyssopo, ut mundus sim abluito me*: Ps. LI, 9. Ubi profecto non intelligit Leuiticam separationis aquam, per quam a suis praeuaricationibus abluere non posse persuasus erat, siquidem non ab immunditie corporali, sed a sordibus iniquitatis & peccati abluere desiderat. *ψ. 4.* Verum antitypam potius aspersione aquam, sanguinem nempe Messiae; hac aqua, hoc sanguine conspergi cupit et quidem mediante hyssopo eidem intincto, certissima spe fretus, se hac ratione ab omnibus omnino peccatis emundatum iri, dilucide ostendit hunc Antitypum DEUS ipse Ezech. XXXVI, 25. *Aspergam vos aquis mundis, ut mundemini, ab omnibus impuritatibus vestris mundabo vos.* Aqua haec cum cineribus ex vacca combusta residuis non uni vel alteri tantum, sed toti populo Israel et omnibus, quotquot purgationis erant indigi, parata aderat, quem in finem ex communi Israelitarum aerario haec vacca erat coempta. *Lund. l. c.* Simili modo Christi Sanguis non pro uno alteroque populo sed pro omnibus in solidum hominibus est effusus, *dum semetipsum pretium redemptionis dedit pro omnibus* I Tim. II, 6. *Propitiatio est pro peccatis nostris non autem pro nostris tantum, sed et pro totius mundi peccatis.* I Ioh. II, 2. Quamuis vero huius vaccae cinis praesto erat in commodum omnium, quotquot tactu vel praesentia corporis demortui impurati erant; Non tamen munditiam dabat omnibus, sed iis tantum, qui eo conspergebantur mediante hyssopo: Ita et Christi Sanguis pro omnibus quidem est effusus; Verum non omnes sine discrimine emundat, sed eos tantum, qui spirituali hyssopo fidei eodem consperguntur et firma fiducia ipsum apprehendunt, solus enim ille, *qui in Christum credit non condemnabitur sed vitam aeternam habebit* Ioh. III, 16. *sine fide namque impossibile est DEO placere* Ebr. XI, 6. extra hanc aquam cineribus his permixtam, nullum erat purgandae huiusmodi impuritatis remedium: Sic extra Christum eiusque